



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 42. Suppetiæ a Connestabili Gallis submissæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. **A.C. 1450.** Carentum inter & Bajocas castra posuerunt, accessere etiam Matthæus Godus, & Robertus Veerius Anglorum Duces, qui quasdam adduxerunt copias. Jam in conspectu utraque acies erat nonnisi exiguo rivulo eam interfecante; jamque Claromontius Comes minora duo tormenta inter sepes locabat, quorum furor effecit, ut Anglis multa globorum, & flammæ tempestas devoranda esset, tandem vero Godus sexcentos Ballistarios submit, qui rivum vado transeuntes toto impetu in Gallos irruunt, fugant, & duo illa tormenta secum abripiunt. Comes ad S. Lautonis oppidum quosdam ablegabat, qui Connestabilem exposito discrimine suppetias ferre urgerent. Ille confestim feria quarta, quæ erat quinta decima Aprilis, itineri se accinxit, & summo mane hora diei tertia advenit, tempore Gallis admodum opportuno; Godus enim jamjam primos victoriæ fructus delibare videbatur.

§. XLII.

*Suppetiæ a Connestabili Gallis
submitte.*

Igitur Connestabilis, Jacobo de Lucemburgo, Lavallio Comite, Loheacio Franciæ Marescallo, Orvalio Britannæ Marescallo, San Severinate, Bouffacio, aliisque

que pluribus Principibus ac Nobilibus ^{Sæcul. XV.} stipatus, ferme ducentos quadraginta lancearios, & octingentos Ballistarios adduxit. ^{AC 1450.} Connestabilis vix conspecto Anglorum exercitu, illico suos in ordines ac stationes distribuit prælio paratos. Angli haud expectata hac rerum facie tanto perculsi sunt terrore, ut Robertus Veeres cum suorum millibus Cadomum, & Bajocas aufugeret, ipse quoque Kyrielus jam in eo esset, ut fuga sibi consuleret, opportunitate præfati rivuli, ac cujusdam pagi eidem incumbentis usus: sed accurrente quadam Ballistariorum cohorte, quam Connestabilis ex equis descendere jussit, primum Anglorum cornu initio certamine funditur, plurimis eorum qua cæsis qua captis.

§. XLIII.

Angli ad pagum Forminiacum prælio devicti.

Finito certaminis præludio Connestabilis junctis Claromontii copiis fortior evasit, & Brezæus tanto furore alterum hostis cornu impetiit, ut maxima Anglorum parte Victorum gladiis jugulata, duo illa tormenta non ita pridem occupata recuperaret. Angli sinistro fato nimium perterriti, Forminiacum ad sua castra satis munita fugere compulsi sunt, pugnae decre-